

44456








Vom Hofwaflyabenner Linnem Linnem
Dr. med. Professor Johann v. Zuber
vrb

Erkennung überzerrigter
Aktion

von

München



ANIMADVERSIONES

IN

Annun Clinicum Vindobonae

MDCCCXXXIII. ET MDCCCXXXIV.

OBSERVATUM

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM PRO

DOCTORIS LAUREA OBTINENDA

IN I. R. UNIVERSITATE PATAVINA

PROPONIT

FRANCISCUS KOESTL

Carniolus



PATAVII

TYPIS CARTALLIER

M. DCCC. XXX. V

44456

Dedisti mihi Domine artem,
meam mercedem,
et in illa laudabo nomen Tuum?

DAVID.



GELSISSIMO PRINCIPI
REVERENDISSIMO DOMINO DOMINO
ANTONIO ALOYSIO WOLF
EPISCOPO LABACENSI

S. C. R. A. MAJEST. A CONSILIIS REGIMINIS
PROVINCIAE ILLYRICAE

COMMISSIONIS INSTITUTI LABACENSIS
PRO PAUPERIBUS SUBLEVANDIS

NEC NON

C. R. SOCIETATIS AGRARIAE CARNIOLICAE
PRAESIDI

COMPLURIUM SOCIETATUM OECONOMIARUM
SODALI HONORARIO

ETC. ETC.

OBSERVANTIAE ATQUE VENERATIONIS
MONUMENTUM POSUIT

AUCTOR

CELSISSIME PRINCEPS!

L auream per tot annos adspiratam ego tandem, qui adeptus sum, eximiae observantiae ac reverentiae pignori, quod *GLORIOSO TUO NOMINI* offerre liceat, summe laetor candide simul fatendo, qua detinerer in opusculo tenuitatis suae conscio *CELSITUDINI TUAE* consecrando haesitationem Pyrrhonicam, nisi apud quoscumque litterarum bonarumque artium cultores invaluisse morem animadverterem, ut vigiliarum laborumque suorum pullos *MAGNIS VIRIS* eorumque sinibus, quibus materno foventur tepore, pie traderent, curis adempti. Sed cogitanti etiam, quod *CELSISSIMI NOMINIS TUI* dignitatem et omnige-

nam eruditionem deceret, rebus salutiferis auspi-
catius nil obveniret, quae *PRINCIPUM* pretiosos
dies tuentur; et decet, quibus *TUA* singularis
virtus *TE* affixit, commoda publica nunquam non
sanctissima, hominum saluti uni eidemque semper
intenta adeo, ut alta haereat mente repositum,
quot beneficia tulerint *CURAE TUAE*. —

Etsi a *TUA*, qua fulges, modestia impetrare
valerem, *LAUDUM TUARUM* cumulum enu-
merare, quas egregias cunctis ubique notas etet
per transennam percensere, nil nisi actum agere
esset. —

Comunis pauperum res opibus ac pietatis le-
gibus instituta, Ecclesiastica disciplina splendore
donata *CELISSIMO TUO CLYPEO* gloriantur;
in quam legum reverentia ac Religio virescens pro-
ficiscuntur, *TIBI* tamquam *EXIMIO MODERA-
TORI* superbit Patria ovans! *NOMEN TUUM*
Aemonae, quod jam annis ante *Tergesti* cultis-
simum, omnium plausibus exceptum; gravitas cum
comitate sociata, sapientia ab humanitate stipa-
ta, — sane digniorem me invenirent praeconem. —

Tantarum autem *VIRTUTUM* praestantia,
quas nulla in posterum aetas silebit, est; cur nul-
lus dubitem, quin ea comitate, qua soles et cuncto-

*rum animos TIBI devincis, munusculum hocce te-
nue in summae erga TE venerationis monimentum
benigne sis excepturus. Qui meritis caret, labori
meo NOMINIS TUI AUSPICIA exoptatum ad-
dunt ornamentum, quod promereri omnibus nervis
nitar.*

CELSISSIMI NOMINIS TUI

Observatissimus Auctor

FRANCISCUS KOESTL.

ISAGOGE

Quod T. O. M. Deus felix, faustumque et *Vobis* et nobis esse velit, *Magnifice Rector, Decani Spectabiles, Professores Celeberrimi, Auditores ornatissimi!* — Doctoris Medicinæ Lauream in hac alma et antiquissima Universitate hæc dies solennis, hæc hora imponit, et una cum munus vix non gravissimum, naturæ futuro ministro. Ast antequam hanc provinciam lubenter suscipere jure jurando testemur, ex lege *Vestra, Patres Sapientissimi!* de cathedra hujus semper florentissimæ scientiarum Academiæ, cujus *Vos* decus estis atque ornamentum, fando docere, studiorum nostrorum fructus edere, explicare; tum quod multiplex sit idque diuturnum artis Apollinæ exercitium, in præstando hoc *Vobis* officio, eruditionis cancellis sat arctis tenemur. — Quintus et dimidius jam agitur annus, ex quo modo Medicinæ sic proprie, Theoreticis delectati, ad lectulos modo aegrorum affixi, memores nunquam non exitimus Immortalis *Nostri Hartmanni*, per tot discrimina rerum eo tandem nos pervenisse, ubi nunc versamur, et ubi Medicina inter speculationem sublimem et empiriam rudem continuo fluctuans, paucos modo cultores numerat, qui ratione et experientia ducibus vitæ et morbi scientiam ita perfecerunt, ut firmum arti salutiferæ fundamentum præbeat medicumque talem constituat, ut eorum, quæ in mortalium salutem molitur, rationem reddere valeat. — Sub tanta igitur Medicinam profi-

tendi ac faciendi caligine, sinceram morborum effigiem intueri, illorum causis, decursui animum attentum praebere; methodum medendi rimari, cadaverum sectionibus assidue interesse, eaque et singula quotidiana cum industria in chartas conjicere, quarum paginis *Ingeniosissimi ab Hildenbrand* sententiae eruditissimae albo lapillo signatae nullatenus desunt, sat fidum exhibere ducem, visum nobis est. — En uberem, unde dissertatio inauguralis depromenda, thesaurum, in quo plus adhuc virtutis, quum de Cholera orientali et post de Catarrho Rossico semel et terribili modo moniti epidemiologorum libros avidi legeremus, constitutionis morborum variae imprimis annuae et stationariae doctrinam tradendo haud ingratos, quae ultima tamen et temporibus nostris non est, ac dogma theoreticum ad aegrotantium lectos penitus fere praetervisa, licet summam vix illi dignitatem in statuendis contra aegritudines indicationibus, in seligendis morborum classibus denegare haud valeamus. Itaque, quando ejusmodi epidemiologis nonnisi aptum argumentum elaborandum arripimus, circa studiorum suorum fructus ingenium, quamcumque viam sectetur concessam, exercere pro viribus, — opprobrio nulli verti dicant, si qui fuerint iudices, nec non in hominum manus quid dare, magni esse perpendant. In quo propitium nobis fore *annum clinicum 1833 et 1834* sub laetis semper auspiciis Clariss. ac Celeberrimi Dom. prof. Franc. nob. ab Hildenbrand observatum, quem revolutionum grandimundialium frequentia et varietate sic et aegritudinum propria quadam facie adeo divitem, descriptum publici juris facere, anxii haesitavimus; sed suscipiendo labori industriae impensae nos numquam taeduit et

una cum laboris gravitate quo magis onerosa, — vires — et semel devicta, — gaudium propriae conscientiae incrementa cepere. Praemissa brevi anni dicti descriptione tum quoad morbos in Clinica Palaestra obvios, tum quoad tempestatum vices, quando de constitutione morborum annua atque stationaria ad argumentandi rationes descendamus, num recte fecerimus, Censorum aequo patebit. Characterem morborum nervoso-gastricum mensibus memoratis per eminentiam insignem non tantum in constitutione annua, verum et potissimum in constitutione stationaria, tunc temporis potentia altiori donata quaerimus. Utinam in tali conamine medicum juvenem intueantur, cui nihil cordi est, ac in *Hildenbrandio* animadversiones sagacissimas ac facetissimas grato animo mirari; quem desiderium tenet, *Morgagnianam* revera sedulitatem, pia semper cum devotione etet a procul sectandi. — Si haec, — quod arti quam profitemur divinae et societati hodie nascamur, bonorum quis non laetatur? Favendo valet! —

Patavii mense Martii 1835.

AUCTOR.

Antequam de morbis sermo nobis fuerit, omnium primo sciant volumus, morbos in Instituto clinico anno memorato occurrentes per transennam nonnisi exponendos, quum singillatim eos enumerare, nec quem praefiximus, scopus desideraret, sed longe plures paginas expleret. Quae nam malorum prosapiae per eminentiam et quam maxime lectulos detinuerint, qualis character praecipuus istis adhaeserit, breves hic loci fando versamur.

Calculum aegrotantium specialem ducere, frustraneum, — huic etet ducto satisfacere ita, ut genius morborum epidemicus inde notescat, — primus solummodo anni semester sat aptus esset: est enim, quam auscultare eo magis semper majori majorique Candidatorum numero convenit, Instituti clinici lex, secundum quam juvenis medicus casum acutum unum, casum alterum chronicum observet et tractet oportet lunarum decem cursu. Factum ideo est, ut secunda anni sectione, quibus schola implenda fuit, casibus tantum careremus maximum plura in tempora protractis.

Morbi quique fuerint, praepriis febriles pro maxima parte privi aliquid sibi habent: singularis ista inertia functionum cutis, systematis vasorum languor, periphericorum praecipue; phlogoses genuinae rariae, decisio per crises desiderata, aut si quae, mancae morbi exitum decernendo haud pares, repetitis nonnisi moliminibus salutis via veluti per gradus aperienda; nisus in characterem nervosum eminens, aut fluctuatio statum activum inter et passivum; evolutae nervosae, quarum maxima turma, notabilibus et pervicacibus ut plurimum congestionibus versus caput sti-

patae, aut in statum septicum lubenter nitentes; cadavera secta nervosa febrī peremptorum pulmones sanguine atro et sero multo scatentes reperiuntur; decursus admodum taediosus, reconvalescentia e febribus tarda, conualescentes summe dejecti, pulsum acceleratum offerunt, facile in morbum vix superatum labuntur. Febrium gastricarum vastum dominium aut saltem character gastricus febribus plus minus aperte impressus, in oppositum pene semper tendens lethalem. Ordinariae febres catarrhosae et rheumaticae lenitatis, quam primo exordio prae se tulere, fuco facile decipientes; organorum pneumaticorum phlogoses licet non infrequentes, decursus regularitate, quam ex libris observare consuevimus, vix non omnes destitutae; pneumonitides inter plures, duae nosologiae decora rara, catarrhosorheumaticae cito vix et prompte decurrentes, quae potius nec crisi bus solemnibus insigniuntur, et characterem inversum, nervosum induunt lethalitatis gradum adeptum, ni natura medicatrix, quae mortales nos proposuimus, in laetio rem partem disposuisset, per erysipelas metastaticum in pede sanando mensibus lapsis. Febrium intermittentium frequentia, nevrosium personam fere ludentium; nulla a variolis, varicellis, variola modificata solitudo; hydro ps, anasarca, hydrothorax crebro occurrens; scorbutus cum virium resolutione insigni; phtisicorum dies prolongati; nevrosium numerus magnus, insultus fere continui, notae altioris.

Abs re non esset, historias morborum adduxisse fidam ac distinctam magis imaginem praebentes, quod breviter signavimus; sed in binis non nisi casibus aegritudinum adquiescere, quas sub auspiciis Clariss., ac Celeberr. Dom. Prof. Franc. nob. ab Hildenbrand ipsi tractavimus, tenemur: agitur de Febri gastro-enterico-nervosa, agitur de Herpete miliari. Et revera, quando selegisse liceret, istis morbis propitios magis non inveniremus, qui similem cum aegritudinibus anno memorato obvenientibus conditionem pathologicam prae se ferrent.

HISTORIAE PRIMAE ANAMNESIS.

Maria N. Morava, vigesimo quarto aetatis suae aevo versans, temperamentum irritabile, cui catastaseos proba respondet ratio, aptis digitis victum quaerens, qua tenella inscia valetudinis adversae. Decimum octavum agens annum, quae extremo morituram viderat tempore matrem, desertura natales, Vindobonam adit unacum sorore, inter quod par nec dubitatus amor, et pietas concors. Est vigesima secunda aetas, cui pro mensibus primis grates habet, quae fuit acerba, virgo matura. Omnis luna, quin secumferat molestias, novum videt fluxum, cujus singuli duratio ad quatuor quinqueve protrahitur dies.

MORBUS PRAESENS.

Sol quintus Aprilis anni currentis (1834), quum pluribus jam ante diebus, inscia cur, solita sanorum alacritate orba morosa admodum ad ingratum quodvis perceptum sumopere sensilis et animo variabili incederet, majori omine major ingruit: jamjam fastidit cujuscumque tituli cibos, capitis dolor gravat, haud exigua in acidula dirigitur dipsa, per unicum pomum comestum, cui multum aquae superbibit explenda. Nondum sera rubens accendit lumina vesper, quum cephalaea frontalis acerba cum photophobia et oculorum rubore et ardore incedat. Nec satis; quae inhorescit, ructus percipit inodoros, vomituritione torquetur inani, cujus praecordia archialiter anguntur, ilia lassa comittens stratis, quibus desideratum deerat solamen. Mane vero tenore suo recedentibus signis sinistris, detestabilis immemor noctis, quae subdole gliscebant, nauci habens ad officia solita redit, quorum non erat fructus, nisi meridie lectum peteret, quo excepta symptomatum eikon hesternum intensum numeroque numerum additum videt: horrores sat validi calore urente illico submerguntur, cujus focus in abdomine, in scrobo cordis praeprimis concentratus fere videtur; ca-

put admodum tentatum, vertiginosum; sensus, ac si aures occluderentur, obauditus levis; lumina lucem vitantia, urentia multum; sitis clamans, desiderium ora sicca potu frequentiori humectandi; ructus multiplicati, vomituritiones modo inanes, emesis modo copia haud exigua materiei mucosae bile pauca tinctae, acerbae potius de die circiter terna; alvus diarrhoica cum secessu mucii ruentis tenuis haud acris; anxietatis intolerabilis ad praecordia sensus et oppressionis, nec non abdominis integri ambitus adeo patibilis, ut rudiores attactum recuset, — erant, quae lugenda habuit aegra, cano die notabiliter ingravescentia per totam inquietudine summa, jactitatione continua peractam noctem urgentia ad auroram placanda, cuti ceterum transitorio sudore madescente, lectigalibus rejectis lubenter supprimendo. Quaeris de altero Sole, quo somno parco expergiscit remissione non tam luculenta delusa, labores solitos reiteratura, domesticam feminis agyrtis communem implorans curam theatam, cui summa erat a patiente fides; donec ex vomitu intentiori insequuto, diarrhoea quater quinquies in die obtingente edocta meliores seligeret partes, medicum invocans die 10. Aprilis, mixturam quandam amaram sumendam jussa. Quae incendit in abdomine dolorem, vomituritiones ciet inanes, acrem prolicit sedem liquidam, quos perferre vix putat, angores, mixturam luget in communi hanc aegrorum hospitio commutatura, die 12. Aprilis, morbi 8, etet nunc remissione symptomatum gauderet, infidens vero dolosis semel decepta, in Nosocomium pedes meat. Quin in divisionum una lecto sese submittat, in Scholam Clinicam suscipitur, observationi meae et vigilantiae tradenda. Notam nervosam, cujus (quando dicere fas) adest afflatus, haud praetervidentes cum Infus. Rad. Ipecacuanh. ex. gr. sex parati unciis sex oppugnandam illico curamus; utrique surae adplicatur sinapismus sat largus.

Die 13 Aprilis, 9 Morbi.

Mane. De nocte somnus parvus, aut si quis erat, insomniis terrificis turbatus, quibus facile expergefata, mens impressionibus distracta, phantasmata, violentas contra ea oppositura manus aegrotis collegis multum incutit timoris; blandioribus parabolanae verbis persuasa quieti tradita vaniloquia inter, aut modo desipientiam mitem vigilia ducit. Invisentes nunc eam, modo huc, illuc modo se jactitantem invenimus, cujus *εμεταβλησις* morbida primo visu innotescit, ob dysphoriam, quam sole clarius prae se fert, phantasiam incitatum, desipientiam inde, invocata lubenter resipiscit, animus quid erectus eventu prosperiori innixus; fugax in facie turgor vitalis, palpebrarum mobilitas magna, quarum conjunctiva multum et praeprimis ad angulos rubet, conjunctiva bulbi itidem vasis rubris pertexta, illacrimatio nec non de ardoris sensu querela, quum e contra oculus sinister minus participet; obtutus ceterum languidus, pupulae exigua angustatio observatur. Caput non dolet, ipsisimum vero calens, leniter madens, obauditio levis, nares siccae auram trahunt, labia sicca, fissa, fusca os claudunt, quo aperto dentes monstrantur spurcitie defoedati, gingiva rubens quid tumet, lingua subsicca, rubra; spiritus ore missus ingratus caloris intensioris, sitis intensa, anorexia, deglutitio proba, respiratio libera, quin imo et eis pnoë profunda admittitur, in pectore cutis caloris augmentum validum, abdomen totum quantum indolens, molle, sedes una cum urinis inscia aegra de nocte in lecto depositae liquidae, cutis calor parum auctus, ipsius conditio mollis in interna praeprimis facie, pulsus percipitur admodum citatus, duriusculus, inaequalis; sinapismorum actio prompta.

In cura augemus dosin Ipecacuanhae ad gr. quindecim pro Colatura unc. sex in infus. fervido.

Vesperi. De die obdormiscit aegra, sed protinus terri-
culamenta, quibus expavetur; animus contristatur, ac si in-

tus susceptis fixis operam omnem navaret, ad verba cogenda, quae proba retribuuntur, nisi sibimet ipsi relicta vaniloquia varia exercens. De valetudine interrogata, de prostratione conqueritur virium et de capitis dolore, qui assignatur, ac si corpus heterogeneum frontem premeret, quae multum calet; impatientia lucis oculorum in lacrimis natantium; urentem, quos panno linteo sicco fovet, nares sicciscentes spiritum ducunt; labia fissa spurca veluti dentes, lingua praerubra, sicca calens potum largum requirens, quem porrectum iterum recusat; fastiditur esca, respiratio semper libera thorace aequabiliter expanso absolvenda; abdomen molle, alvus semel recondita stratis; cutim tangimus subsiccam, urentem ad interiores partes mollescentem; arteriarum ictus citatus admodum, mollis, inaequalis, levis tendinum saltus.

Continuatio in Inf. Ipecacuanh.

Insuper sumendum suademus granum dimidium Camphorae rasae cum Saccharo in pulvisculos conflatae pro singula dosi alternatim cum superiori infuso.

Suris applicari sinapismos jubemus.

Die 14 Aprilis, 10 Morbi.

Mane. Ad horam septimam heri vespertinam, quum eam reviso, exacerbatio manifesta prae oculis erat; intollerabilis accusatur kephalea, quin imo et anxietas summa, quae non suadet, nisi stragulis rejectis denudare corpus ac lectum deserere, ideo quid furiosi; placanda vero facile virgo miserrima placantibus obediens verbis meis. Quieta jam, ut ignoscam precatur, eaque omnis fidit Deo et praeceptis medicis nostris, admodum comis; jam redditur tristis, lacrimas mittit et pro salute recuperanda piis onerat aethera votis. Omnium partium calor observatus urens. Quibus intenta, inter phantasmata terrifica nisus aufugiendi saepius tentatus, jactitatio huc illuc coërceri ligamentis debuerant;

somnus igitur parcissimus. Nunc sequens hypotyposis: — Corpori erigendo impar patiens situm pro lubitu moderare etet cupiens, pudoris oblita strata premit adeo, ut ad lecti inferiorem partem versus trahatur, porrectis pedibus nudis; facies in longum magis trahitur tristis, animo tristis et prostrata, interrogata tarde capit, praeteritorum difficulter reminiscitur ad verba danda coacta obtusum adesusat caput; oculi sunt clausi, quos apertos factos admodum suffusos videmus, illacrimantes, oculum imprimis dextrum, palpebrarum conglutinatio, in canthis mucus sordidus, conjunctiva palpebrarum obscure rubens tumet, illa bulbi similiter rubet, cornea prominet, oculus ipse illacrimatus, somnolentus veluti repentino expergefactus somno; obauditio levis, nares siccescunt liberae; labiorum siccitas eximia, ipsa fissa, quorum superius retractum, dentes spurcati, gingiva tumet, rubet; lingua non cum labore porrigitur sicca, summe calens papillis nerveis protrusis instructa; cauta calore offendens aucto olet, querimonia de siti et de appetitu nulla; spiritus liberae quabiliter expanso thorace perficiendus, quum et inspirium profundum exercetur; abdominis meteorismus exiguus, sedes clausa, urinae prostant modicae cum nebula fundum petente; cutis subsicca, calor ejus in pectore auctus, in reliquis partibus imminutus; pulsus valde citatus, debilis, mollis, inaequalis; tendines blande saliant; sinapismus tarde, sed egit.

Inficias haud ibo, assumpturus statum intermedium nevrastheniam spuriam inter et veram nec praetervidens conditionem subirritativam in intestinis delitescens, quam ipse calor et rubor linguae totiusque membranae oris mucosae defendunt; nec immemor, quae pro stupida loquuntur, inter quae prae aliis excerpo oculos clausos, membra prostrata, calorem animale imminutum pulsumque mollem.

Quare conditionis pathologicae bias, transitus ex debilitate una in alteram circumspectionem cautam dictat in eo consistentem, quod quando stimulantia apta non seligimus,

per vividiores inde circuli exagitationem, statum in systemate gastro-enterico paraphlogisticum incendamus necesse sit. Non placent igitur, ac quae sub stimulantium diffusibilium titulo laudantur, quae viribus vitae languidae summo-pere sunt idonea, stimulo suo volatili ad omnia organa prompte penetrant, systema nervorum lacescunt et restaurant, et inter ea, quae calorici aut electricitatis fere adinstar, divisibilitate sua per inorganicos poros organa cuncta pervadunt, quin viam circuli insistant. Ita Camphora, Moschus, Naphtae. Arident vesicantia, quae diaphoreticorum, antagonistorum, leniter irritantium munera supplent.

Processus in systemate gastro-enterico paraphlogoticus adamat involventia, mucilaginosa.

Lapsus virium repentinus, oculi imprimis valde suffusi sepsi ire obviam clamant, antisepticis inter quae acida oxygenio scatentia, oxyacida conveniunt, acidum imprimis sulfuricum dilutum.

Ordinamus sequentia:

Rp. Camphor. ras. gr. tria.
Sacch. alb. drachm. unam.
M. f. p. div. in dos. aecq. N. VI.
D. ad chart.
S. o. bih. pulv. unus sumendus.

Rp. Flor. Arnic. drachm. duas.
Inf. s. q. aq. ferv. p. $\frac{1}{4}$ h. v. cl.
Col. unc. VI. adde:
Muc. gg. arab. unc. semis.
D. S. o. bih. 2. c. c. alternatim
cum pulveribus sumenda.

Rp. Rad. Salep. rud. tus. scrup. unum.
Coq. c. s. q. aq. font. p. $\frac{1}{4}$ h.
Col. libr. unius adde:
Acid. sulfuric. dilut. scrupulum.
Syr. simpl. unc. semis.
D. S. Potus.

Rp. Spirit. Camphorat. unc. tres.
S. Externe ad frictionem capitis et extremitatum.

Vesicans ad quamlibet suram.

Fomenta frigida ad frontem cum aqua pauxillo aceti mixta.

Victus tenuis, quid refocillans.

Vesper. Ad sonum horae secundae pomeridianae stupor cedit adeo, ut quam mane truncum fere habuimus, revigilem inveniremus, insimul animum quid erectum, mentem sui consciam, nisi per momenta obnubiletur, verbis inordinatis explenda. Caput multum calet, non dolet, nec oculi urunt, lingua subsicca, nec sitis, nec appetitus indicia, thorax summopere calet, alvus silet, urinae videntur modicae, turbidae cum nubecula ad fundum petente, cutis magis calet, pulsus sunt citati, molles, irregulares, tendinum levis saltus. Vesicans in quid egit.

Praescripta observamus tum ex-, tum interna.

Die 15 Aprilis, 11 Morbi.

Mane. Ad sextam horam vespertinam adfuit jactitatio summa, caput insigniter doluit summe calens, cutis conditio urens. Nox inimica, pavores tanti, ut tentamen aufugii coërceri debuisset: prima lux nonnisi somnum spargit, quem et nunc simulat deploranda. Caput calet, oculi lacrimis innatant difficulter aperiundi, nares fuligine atro obductae, itidem labia fissa, quorum superius retractum, facies magis adhuc collapsa cum ossibus zygomaticis protractis, color lividus, calor imminutus, dentes sorde viscida, subnigra tecti, cauta ex ore calidissima olet, lingua rubra non sitit et porrectum potum aegre recipit, victum nullum poscit, thorax libere expanditur ac aequabiliter, sternum intense calet, meteorismus levis tangitur, alvus de nocte unacum urinis sponte semel secessit, cutis calor quid auctus, pulsus citatus, mollis et debilis.

Sensus externi obtusi, torpor insignis facultatum sensorii comunis, vis motricis sensilitas ingravescens, proces-

sus plasticus in praeceps adhuc magis ruens, gravio-rem systematis nervosi labem spirant. — Quare indicationibus iisdem indulgemus, gradu non nisi differentibus, quum Camphorae rasae dosin granis tribus augeamus, et concinnationes singulae maneant.

Vesperi. Jacet supina; aut quieta, aut jactitatur per vi-ces, aut modo stragula captat; adest stupor insignis, indif-ferentia summa, delirium cum murmure, caput calet, oculi semiclausi, nasus acuminiatus, ossa zygomatica valde pro-minent, nares compilatae, facies colapsa, ora aperta, labia spurca fissa, halitus foetet, gingiva sanguinem nigrescen-tem plorat, colore pristino destituta, adpetentiae ciborum et potus desiderantur, sternum summe calet; nec alvus nec urina monstrantur; cutis subsicca calet, pulsus sunt citati.

Die 15 Aprilis, 12 Morbi.

Mane. Parabolana, et quarum quies turbata, collegae aegrotantes delirium nocturnum narrant, modo triste, in-ter quod de mortis futurae casu trepide fatur, modo in-decore corpus denudantem, aufugii validum nisum, ita ut summe anxiam ligatura habuisse deberet. Obediens jam in lacrimas prona morales, conticescit. — Revisentes eam, truncum habemus, immobile corpus cruribus divaricatis deorsum ad pedes labitur, nisi manus nonnunquam motu intremiscente ad res capessendas extendat. Omnis con-scientia silet, quum nec et impressiones ab extus capiat, excipiendo tamen strepitum, quem manuum tremore aut murmure profundo dispellere studet. A procul terret Hip-pocratica facies, explicita, ut non amplius possit. Capilli fere ex succi Erynniarum more sine ordine sparsi, caput semper calet, oculi semiclausi, nares acutae fuliginosae frigent, vultus collapsus et pallidus, labium superius coe-ruleo-nigrescens retractum, labia spurca, fissa, e sanguine coagulato nigra, dentes spurci, itidem gingiva sanguinem

fundens, sic et apex linguae, cauta olet et calet, desiderium nullum, respirium placidum et breve, alvus nulla, urinae secessae modicae cum nubecula ad fundum, turbidae; cutis calor imminutus, sudore viscido ipsa madens, extremitates frigescent; pulsus citati, debiles, molles.

Quamvis spes nulla supersit, ut saevitiei morbimoriens auferere possit; attamen nil obstat, quin officii medici sanctissimi nos memores, vitae favillam procrastinare studeamus.

Pulveribus e Camphora conflatis Moschum addimus, et cum infuso Fl. Arnic. Valerianam sylvestrem copulamus una cum Spiritu Cornu Cervi; quorum formulae sunt:

Rp. Mosch. orient. gr. tria.
 Camphor. ras. gr. sex.
 Sacch. alb. drachm. unam.
 M. f. p. div. in dos. aecq. N. VI.
 D. ad chart.
 S. o. bih. pulv. un. sum.

Rp. Flor. Arnic. montan.
 Rad. Valerian. sylvestr.
 aa. drachm. duas.
 Inf. s. q. aq. ferv. p. $\frac{1}{4}$ h. v. cl.
 Col. unc. VI. adde:
 Mucc. gg. arab. unc. semis.
 Spir. C. C. scrupulum.
 D. S. o. bih. 2. cochl. cib. alternatim cum pulveribus sumend.

Externa cura continetur sedulo, et vinum generosius una cum jusculo vinoso porrigatur.

Moribunda recusat omne medicamen, sed multis verbis cedens, ut hisce haustibus salutem bibat, bibit. Ad horam pomeridianam secundam spiritus fere deficit, et conatus reiterati eum recuperandi non sublevantur, nisi frictionibus Camphoratis larga manu institutis. Sed momento fides, — et pulsus jam redditur parvus, vix tangendus, undose oscillans, intermittens; calor deserit artus, nisi frontem et sternum excipias; oculorum splendor, si quis erat, evanescit:

facies expallescit, turgor omnis desistit, partes molles col-
labascunt, ossa prominent; cutis defoedatur maculis cada-
verosis, donec ad nutum tertii quadrantis supra horam
tertiam pomeridianam pulsus ex integro ablutus, corde ta-
men adhuc laborante sub quid profundiori exspirio placide
obdormiscat, nunquam evigilatura.

NECROSCOPIA.

Cadaver staturae mediae, sat bene pastum, capilli cum
iride brunei, labia cum gingivis mucosae tenaci, sanguino-
lento obducta, collum gracile, thorax convexus, glandulae
mammarum pallidae, tenaces, abdomen modice expansum,
nucha cum interna surarum facie plagis ex vesicatorio ex-
coriatis notata.

Calvaria ampla, compacta, sulco longitudinali durae
meningi accreta, suturis abolitis, in sinu falciformi sanguis
coagulatus, interna durae meningis facies parte dextra strato
tenui cruoris laete rubri obducta, sinistra parte penes
sinum massa pisiformi steatomatosa obsessa; meninges piae
sanguine largae provisae, arachnoidea turbidula. Substantia
cerebri multum sanguinis profunde rubri, ventriculi late-
rales normalem seri quantitatem includentes, plexus cho-
roidei profundius tincti, sanguine atro-rubro injecti, glandula
pinealis grassiori pertexta sabulo, sinus baseos cranii san-
guinem fluidum gerunt.

Glandula thyreoidea pallida, membrana mucipara as-
perae arteriae vasculis laete rubris injecta. Pulmo sinister
basi sua diaphragmati adnexus, dexter liber, lobi superio-
res superficie externa pallide-grisei; substantia ex rubello-
grisei, strato anteriori aëre rarefacto interiore sanguine
aquoso nec non sero spumante provisi; substantia lobi in-
ferioris sinistri profunde rubra, sanguine fluido scatens;
lobus inferior dexter normali voluminosior, substantia atro-
ruber, densior, friabilis et sanguine infarctus. In cavo peri-

cardii sesquiuncia seri flavelli, viscidii. Cor pallidum, flacidum, atriis paucillum lymphae coagulatae et sanguinem fluidum continet, quod et vasorum gerunt trunci.

Hepar grande ex rubello-flavum, densius, materiam deponens sebaceam, cystis fellea bile flava repleta. Lien turgidus profunde ruber, contextu celluloso tenaci, substantia atro-rubra pulpiformi infarctus, glandulae lymphaticae ad hylum ejus, sicut illae caput pancreatis ambientes tumidae vasculis pallide-rubris injectae; pancreas ipsum compactius et siccum. Ventriculus aëre et pauca fluidi viridescens quantitate repletus, membrana ejusdem mucipara crassior, contextus densioris, resistens. Tractus intestinorum tenuium pauco aëre et materie e fusco-flava viridicante, faeculenta repletus. Tunica ilei mucipara numerosis lentem vel et thalerum aequantibus ellipticis plagis strato profundiore degenerata in substantiam sarcomatosam, friabilem, rubellam ad lineam et ultra praetuberantem, villis tumens, prolongatis. Tunica mucipara intestini jejuni mucositate tenaci obducta. Glandulae muciparae coli tumens ad ostium ductus excretorii excoriatae, nec non vasculoso cinctae halone. Glandulae meseraicae ad volumen nucis avellanae tumens, e livido-rubrae, friabiles, vasculosae. Renes pallidi, cystis urinaria coarctata pauca lotii flavi turbiduli quantitate gaudet. Ovaria volumine normalia, dextrum cystide fabam, sinistrum cystide pisum aequante, utraque cruorem coagulatum, ferrugineum continente pertextum. Tuba utraque mucositate griseo turgens; uterus normali major, parietibus crassior, densus, strato interiore profunde rubro, vasculis injecto; labia orificii tumida, ex atro-caerulea, sanguine infarcta, folliculi mucosi cervicis mucositate tenaci turgent.

CASUS SECUNDI

SYNOPSIS HISTORICA.

Joanes N., Bohemus, scrinarii tiro 20 annorum, qua infans tenerrimus variolas perpessus, qui vero postea sanus apud sanos degit parentes. Decimum sextum aetatis suae annum colens juvenis in metropoli Austriae nostra scrinarii evadit tiro, qui ictibus verberibusque magis ac desiderato pane gaudet. Die 25 Novembris 1833 primo mane novum videt hostem: in dorso manus dextrae ad regionem carpi adsunt papulae magnitudine et numero variae, laete rubentes, moleste prurientes; nihilominus manui patienti in serum usque diem per labores, quos exercere cogitur, strenuos, parcit, inquieta puniendus nocte. Die altero papulae magis elevantur, intenditur earum rubor, a regione carpi ad illam metacarpi tumor insurgit notabilis, sed et calor urens et lacerantes torquent dolores; quibus non obstantibus, labores interversatur, sed non protracte, quietem mox quaerere cogendus, dolorum alumnus. Die novo intenditur iterum tumor, intenduntur dolores, in papulis conspiciuntur vesiculae granum milii adaequantur, humore flavicante refertae; adest sol alter, quum a hera sua instituta fumigationes emelioratio notabilis sequatur, tumor decrescat, papularum rubor imminuatur in coeruleum vergens; sub luce subsequa ad marginem carpi externum bulla conspicitur, pustulae numero augentur. Implorans vero alterodie, quifuit. 30 Novembris, Xenodochii auxilia. In Schola Clinica sumit Det. Alth. c. Roob Sambuc. et Sal. amar. Aegrum rigore examine ac febriculam simul computantes, diagnostizabamus in Herpetem miliarem, autonomum, idiopathicum; sed approximativum nonnisi, forma delectantes exanthematis eminente i. e. vesiculosa, analogiam cum Eczemate toxico et Zostere juste ventilando. In causam ab aegro nil profertur, in toto vero corpore videre

spurcitiem, sufficiat; quare primo amovere causam et extinguere occasionalem primus animus fuit, in quem finem balneum tepidum universale respondebit; porro specificam dermatis phlogosin requirere remedia electivo quasi modo in illud agentia, protulimus. Quare Det. Alth. c. Roob Samb. et Sal. amaro, aequabilis lecti tepor et tenuis victus paginam therapeuticam omnem pro tempore absolutura esse, censuimus. Lotus aeger optime se habet, nisi quod pruritus novitus expertus cum pululantibus aliis papulis ad anticam colli faciem nec non ad antibrachium internum. Tumor jam quid imminutus, papulis insidentes vesicularum quaedam humorem flavicantem aut albescentem tenuem limpham condunt, alteris iterum pro magna parte lapsis, ut dicam, marcescentibus. Ad vesperam alvum clausam enema laxans sollicitavit. Die 2 Dec. 8 morbi, cuti urente, haud permeabili inventa, psychrolusias invocavimus; cutis quid mollescit, sed calet, donec die 7 Dec. 13 morbi in derma urens, siccum cum Det. Dulcamar. addito acetate Ammoniae solut. agere debeamus. Sed in Tartaro stibiato in Deto. Dulcamarae soluto efficaciora arma invenire fuit contra cutem aegram, quae paulatim restituta. Exanthemate non amplius viso, cuti molli, permeabili, motibus pyreticis pacatis, (quando excipimus pulsum semper velociorem adhuc, quid fortiorem, duriusculum), functionibus physiologicis in norma versantibus, convalescentem proclamavimus. Tali pacto die 14 Dec. sanus fuit dimissus; diathesis vero febriculosa, ut divini Stollii verbis utar, inhaeret.

Quod attinet Febrim gastro-enterico-nervosam, nonnisi dolemus, quod tales morborum prosapiae cum tanta in decursu nequitie omnem hucusdum deterreant medentem. Sed altera ex parte defunctos multoties culpam gerere, profiteremur: Nostra Maria N. febrim gastro-entericam laborans, remissionibus illis admodum dolose solennibus indulgens, vires ad perficiundas crises male disposuit, quo irritato co-

natu vires labem cepere irreparabilem, quam reparandi officium praestare, nostrum denique fuit.

In Herpete miliari notae jam vilioris cutem siccam, urentem, et motubus exiguis pyreticis pacatis, animadvertimus, morbis hoc anno perstantibus adeo peculiarem.

HISTORIA METEOROLOGICA

MENSIIUM SINGULORUM

Anni clinici 1853, 1854.

October anni 1853.

BAROMETRON.

| | | | | |
|--------|------------------------------------|------|------|-------|
| STATUS | Medius | 28." | 4''' | 1'''' |
| | Maximus die 1. | 28. | 4. | 4. |
| | Minimus die 16. | 27. | 9. | 3. |
| | Maxima vicissitudo | | | |
| | intra nychthemeron die 15. | 0. | 3. | 2. |

THERMOMETRON.

| | | | | |
|--------|------------------------------------|-------|----|----|
| STATUS | Medius | + 7. | 9° | R. |
| | Maximus die 3. | + 15. | 0. | " |
| | Minimus die 28. | + 3. | 0. | " |
| | Maxima vicissitudo | | | |
| | intra nychthemeron die 24. | 7. | 2. | " |

Temperies mensis dicti, qualis amoeniori, qui novissimas homini delicatulo delicias spargit, autumno insignis; et si qui habent magnates urbani Tusculana servant sua hortosque fovent rurales. Licet agros videas suavi viredine orbos, vix perfectam attamen crederes messem; coelum ita

sudum, sed et haud exigua siccitas itineratoribus adprime nota. Dierum ex integro serenarum sunt 10; nubes cum sole alternantes 11; nubilae 10; nebulae diebus 16 densiores locum habent ad vespertas magis nebulosae; diebus 4 pluviae cadunt. Ventus quicumque blandus spirat; dominantur Euronotus (S. O.), Favonius (W.), rariori cum Cauro certantes.

November.

BAROMETRON.

| | | | | | |
|----------------------------|---|-----------------------------|------|------|-------|
| S T A T U S | } | Medius | 28." | 4''' | 7'''' |
| | | Maximus die 15. | 28. | 8. | 1. |
| | | Minimus die 8. | 27. | 9. | 5. |
| | | Maxima vicissitudo | | | |
| | | intra nychthemeron. | 0. | 3. | 11. |

THERMOMETRON.

| | | | | | |
|----------------------------|---|-----------------------------------|-------|----|----|
| S T A T U S | } | Medius | + 3. | 9° | R. |
| | | Maximus die 15. | + 13. | 5. | " |
| | | Minimus diebus 11. 12. | — 0. | 5. | " |
| | | Maxima vicissitudo | | | |
| | | intra nychthemeron die 3. | — 6. | 5. | " |

Temperies mensis hujus nullatenus inamoena, ac in anno esset; quae est frigidiuscula et pro maxima parte nubeculosa, quum nubes cum solibus alternantes dies 8 numerentur, coelum diebus 22 nubibus velatum obveniret, nebulae diebus 15, sed tenues, quin tamen humiditas nimia, pluviae enim 12. Ventus Euronotus (S. O.) praepollet, hinc inde Caecias (O. N. O.) et Caurus (W. N. W.) mitiores,

December.

BAROMETRON.

| | | | | | |
|--------|---|---|------|------|-------|
| STATUS | } | Medius | 28." | 3''' | 4'''' |
| | | Maximus die 1. | 28. | 8. | 11. |
| | | Minimus die 21. | 27. | 9. | 8. |
| | | Maxima vicissitudo intra nychthemeron die 9. | 0. | 4. | 5. |

THERMOMETRON.

| | | | | | |
|--------|---|--|-------------------|----|----|
| STATUS | } | Medius | + 4. | 2. | R. |
| | | Maximus die 20. | + 10. | 8. | " |
| | | Minimus die 27. | - 2. | 5. | " |
| | | Maxima vicissitudo intra nychthemeron die 20. | + 9. ^o | - | " |

Anno ad finem vergenti temperies sat alta, tepidula non patrocinator; in domibus ligni non tanta penuria, haud divite fornace; ac si non pallio uti deberent, suburbanas arborum series obambulantibus decoratas vides; coelum pro maxima parte nubilum, quum dies 7 nubes cum solibus habeant, nulla sed ex integro serena die gaudeant; diebus 8 nebulae crassae visae, udae, caliginosae, pluviae diebus 11 cadunt, nivibus una dies alterave notatur mox fatiscentibus. Dominantur inter ventos Zephyrus cum socio Argeste (W.).(W. N. W.); diebus 4, 10, 18, et 26, procellarum impetus sat validus.

Januarius anni 1854.

BAROMETRON

| | | | | | |
|--------|---|--|------|------|-------|
| STATUS | } | Medius | 28." | 3''' | 4'''' |
| | | Maximus die 10. | 28. | 11. | 6. |
| | | Minimus die 1. | 27. | 8. | 6. |
| | | Maxima vicissitudo intra nychthemeron die 10. | 0. | 10. | 10. |

THERMOMETRON.

| | | | | | |
|--------|--|---|-----|-----|----|
| STATUS | Medius | + | 5. | 5.° | R. |
| | Maximus die 25. | + | 14. | 8. | ” |
| | Minimus die 7. | — | 6. | 0. | ” |
| | Maxima vicissitudo intra nychthemeron die 25. | | 9. | 5. | ” |

Initium mensis quid inamoenum, secundum finem ejus veris adpropinquantis fere delicias spirat; coelum nubilum et quidem ex integro diebus 23, soles cum nubibus alternantes 8 diebus numerantur, et serenarum nulla. Nebulae Phoebum obfuscantes densae 24, in pluviolas mutandae, quae diebus 4 locum habent; tribus vicibus nives rarae cadunt. Ab occasu sex procellae ortum trahunt valde impetuosa diebus 1, 4, 5, 24, 25, et 29, — Venti impetantes (O. S. O.) et Caurus (W. N. W.) validissimus.

Februarius.

BAROMETRON

| | | | | |
|--------|--|------|-----|-----|
| STATUS | Medius | 28." | 6." | 8." |
| | Maximus die 26. | 28. | 11. | 0. |
| | Minimus die 21. | 28. | 5. | 2. |
| | Maxima vicissitudo intra nychthemeron die 27. | 0. | 2. | 11. |

THERMOMETRON.

| | | | | | |
|--------|--|---|-----|-----|----|
| STATUS | Medius | + | 2. | 0.° | R. |
| | Maximus die 28. | + | 15. | 0. | ” |
| | Minimus die 11. | — | 8. | 0. | ” |
| | Maxima vicissitudo intra nychthemeron die 20. | | 14. | 4. | ” |

Dierum ex integro serenarum 7; nubes et soles 13; nubeculosae 3 numerantur dies; nebulae suspensae densissimae 16; pluviae 4 cadunt diebus; nives 3. — Euronotus (S. O.) quid placidior vento Cauro (W. N. W.) caput quam maxime extollente. Temperies ceterum sub primo initio mensis subfrigida quid aegrius afficiens, quum vero ad finem vergens solis radiis calidioribus delectaremur, quorum intensitas in stuporem amoenum tempori verno convenienter Ceraso flores donavit.

Martius

BAROMETRON

| | | | | |
|--------|--|------|------|------|
| STATUS | Medius | 28." | 4''' | 6''' |
| | Maximus die 1. | 28. | 11. | 8. |
| | Minimus die 24. | 27. | 8. | 8. |
| | Maxima vicissitudo intra nychthemeron die 31. | o. | 3. | 8. |

THERMOMETRON

| | | | | |
|--------|---|-------|-----------------|----|
| STATUS | Medius | + 3. | 5. ^p | R. |
| | Maximus die 7. | + 15. | o. | " |
| | Minimus die 28. | — 5. | o. | " |
| | Maxima vicissitudo intra nychthemeron die 6. | 12. | 5. | " |

Dierum ex integro serenarum numerantur 4; nubes alternatim cum Phoebus diebus 9; quin itaque omnis mensis nubibus notatus, diebus enim nubeculosis 18; nebulae sunt 4; pluviarum 3; nives quater locum habent. Diebus 11, 24, 25, ab occasu procellae ortum trahunt; ventus praevalent Caurus (W. N. W.) et (N. W.) fortis. Ceterum temperies amoena, recreans quando excipias vicissitudines notabiles sub dimidio imprimis et versus finem mensis obvientes; sed rarus dies subfrigidus.

Aprilis

BAROMETRON

| | | | | |
|--------|--|------|-----|------|
| STATUS | Medius | 28." | 5." | 11." |
| | Maximus die 3. | 28. | 7. | 1. |
| | Minimus die 29. | 28. | 0. | 0. |
| | Maxima vicissitudo intra nichthemeron die 11. | 0. | 2. | 0. |

THERMOMETRON

| | | | | |
|--------|--|-------|-----------------|----|
| STATUS | Medius | + 6. | 3. ^p | R. |
| | Maximus die 29. | + 20. | 2. | " |
| | Minimus die 9. | + 1. | 0. | " |
| | Maxima vicissitudo intra nychthemeron die 29. | 11. | 2. | " |

Dies nonnisi 3 sereni; 13 diebus modo nubes, soles modo; 14 nubilae; nebula 1; pluviae tribus, nives duobus cadunt diebus.

Quamaxime spirant Caurus vehementior, sed et Euro-
notus multo mitior. Coelo licet pro maxima parte nubibus
interceptum adeo suave et mite, ut quae adulto vere virent
ac florent arbores obambulantibus umbram sufficientem lar-
giantur; idque secundo mensis dimidio.

Majus

BAROMETRON

| | | | | |
|--------|--|------|-----|-----|
| STATUS | Medius | 28." | 3." | 8." |
| | Maximus die 7. | 28. | 8. | 3. |
| | Minimus die 17. | 27. | 11. | 8. |
| | Maxima vicissitudo intra nychthemeron diebus 14. et 25. | 0. | 2. | 5. |

THERMOMETRON.

| | | | | | |
|--------|--|---|-----|-----------------|----|
| STATUS | Medius | + | 15. | 6. ^o | R. |
| | Maximus die 9. et 21. | + | 25. | 0. | " |
| | Minimus die 28. | + | 6. | 8. | " |
| | Maxima vicissitudo intra nychthemeron diebus 15. et 19. | | 10. | 0. | " |

Coelum diebus 7 serenum, diebus 12 nubibus obscuratum, totidem soles cum nubibus alternant; pluviae die uno cadunt. Ventus spirant Caurus (W. N. W.) et Euronotus (S. O.), ut plurimum debiles. Temperies summopere verna per universam naturam vitam altiore aestatis praeludens.

Junius

BAROMETRON

| | | | | |
|--------|--|------|-----|-------|
| STATUS | Medius | 28." | 3." | 10."" |
| | Maximus die 2. | 28. | 8. | 1. |
| | Minimus die 8. et 9. | 28. | 0. | 1. |
| | Maxima vicissitudo intra nychthemeron die 27. | 0. | 2. | 8. |

THERMOMETRON

| | | | | | |
|--------|---|---|-----|-----------------|----|
| STATUS | Medius | + | 20. | 7. ^o | R. |
| | Maximus die 24. | + | 28. | 4. | " |
| | Minimus die 17. | + | 9. | 5. | " |
| | Maxima vicissitudo intra nychthemeron die 5. | | 10. | 8. | " |

Dies sereni observantur 5; modo nubes soles modo 14; nubili 11; pluviarum 5 notantur. Coelum ultimis imprimis Junii diebus summopere sudum adeo, ut omnis et quicumque de intollerabili quaeratur aestu, nisi aura quid vehementius exagitetur tonitribus, diebus 5. et 24. horis vesper-

tinis hominem fere desperandum quid recreantibus; procella die 16. ab occasu venit vehemens; ventus imperantes Caurus cum Euronoto.

Julius

BAROMETRON

| | | | |
|----------------------------|---|--|-----------------|
| S T A T U S | } | Medius | 28." 3.'" 9.'"' |
| | | Maximus die 16. | 28. 5. 11. |
| | | Minimus die 21. | 28. 1. 2. |
| | | Maxima vicissitudo intra nychthemeron die 18. | 0. 2. 2. |

THERMOMETRON

| | | | |
|----------------------------|---|--|--------------|
| S T A T U S | } | Medius | + 19. 9.° R. |
| | | Maximus diebus 14. 19. 21. | + 27. 0. " |
| | | Minimus die 12. | + 12. 4. " |
| | | Maxima vicissitudo intra nychthemeron die 19. | 8. 0. |

Dierum ex integro serenarum numerantur 9; nubes cum solibus alternantes 13; nubilae 9; nebulae deficiunt; pluviae diebus 4 cadunt. Die 22. sub quid molestiori aestuanti meridie procella vehemens ab occasu ortum trahens; qui maximum perflant crassas, ut dicam, auras Ventus Euronotus et Caurus.

HISTORIA METEOROLOGICA

Annus clinicus 1853, 1854 integer.

BAROMETRON

| | | |
|--------|---|--------------|
| STATUS | Medius | 28." 4." 6." |
| | Maxima die 1. Martii | 28. 11. 8. |
| | Minimus die 24. Martii | 27. 8. 8. |
| | Maximus vicissitudo intra nychthemeron | 1. 5. 0. |

THERMOMETRON

| | | |
|--------|--|-------------------------|
| STATUS | Medius | + 8. 7. ^o R. |
| | Maximus die 24. Junii | + 28. 4. " |
| | Minimus die 11. Februarii | — 8. 0. " |
| | Maxima vicissitudo intra nychthemeron | 36. 4. " |

Dierum ex integro serenarum 45 numerantur; nubes cum sole alternantes 108; dies nubilae 151; nebulae 84 diebus locum habent; pluviae cadunt 48 diebus; nives diebus 15; tonitrua 2 mense Junii diebus 5, et 24, ad hesperum audiuntur; procellae 15 ab occidente ortum trahentes; venti eminentes Euronotus et Caurus.

Qui per transennam a nobis memoratur, annum ephemerides verbis sat multis describunt, ac patrum ora nepotibus tradunt, tempestatem hoc anno regnantem adeo a norma deviantem, ut quibus multa est aetas, obtutu tacito detineantur stupore. Naturae autem scrutatoribus mirum hoc phoenomenon majorem sane, ac quis fors crederet, utilitatem tulisse, altera fors aetas felicior adhuc docebit: Sectis aestatis aristis autumnus succedit non piger, rariores ac sero decidunt comae arboribus, temperies amoena spirat, sed nubeculosa, rari labuntur imbres; seri autumnii aura per vehementes exagitur procellas. — Hiems frigore caret consueto, nec imbrifera, sed nebulosa; nives desideratae arva nuda sinunt, nec glaciali frigore tempus riget,

sed procellis diris frequens talis brumae insueta suavitas interclusa, ut domiciliis et quaecumque obviam ruunt, exitium minentur, sternere, evertere nitantur; nec satis terribis nivium, et si quae tecta et agros albo vellere tegunt, sole tepente lubenter pereunt victae. Verni ac si essent, rident dies truduntque gemmas, floresque explicat arbos, cum cespite tenero terra viret. Mense Februarii jam cerasus floret, jam violas puerique legunt bilaresque puellae. — Pro vere aestas ingruit, solum hiat imbres. — Succedit tempus aestivum, cujus calor intensus adeo, ut animantium omnis de eo conqueratur, terrae sitientes ardore dehiscant, urantur gramina campis a languente pecore mox deserta. Fontes et putei moriuntur; sed palmitum laetiori consiti colles, et qui vinetis abundant aut rerum nervo, quae autumno pingui spumantia exuberant dolia, musto curant.

Attentorum quivis, quae mox dicenda essent, sine negotio intelliget, et meliora ex modo datis scientiae et arti excerpando adferet, ut dissertationi colophonem imponamus, suasurus, ni ex lege et locus et tempus, quae animus prurit, exercere convenient. Quare exercitationis hujus litterariae exordium, quum argumentando aliter destituamur, a rita sed empirica magis cognitione constitutionis morborum variae intelligant velimus. Quando enumeramus morbos, qui per annum detinebant aegros, omnium primo jure quaeritur, quales fuerint, quid inde sentiendum et ad praxim futuram applicandum, qualis igitur morborum constitutio; quae vero momenta cuncta quaedam praemittenda deviando paululum suadent. — Constitutionem morborum endemicam, annuam et stationariam, quoad viribus nostris est, disquirere in animo est, qua momenta pathogenetica praecipua et universalis formationis miseriarum fontes vix non omnibus superiores. Quam practice consideramus, constitutio endemica dependet ab aëre, situ, solo, climate, montibus et planitiebus et aquis in certis terrae plagis aut locis, quae est in nexu cum nutrimentis et

naturae phaenomenis, quibus regio insignitur, majori minorive numero, vitae genere, moribus, occupationibus in labore cum arte aut litteris, religione, ratione legum, quarum vinculis in societatem coaluere homines et omnibus reliquis momentis in Topographiis medicis et facetissime et ingeniose nostris temporibus pluries invenienda. Revera igitur principium morborum topicum. — Constitutio annua, quae cum singulis anni temporibus revolvitur sistens productum ex temperatura ejusque vicissitudine relate ad anni tempora quoad communis vitae sors determinatur. Est, quod principium morborum atmosphaericum largitur. Experimentis et periculis a medicis graecis institutis nec non post ab empiricis, constitutio annua quadruplex habetur, quae vere phlogistica, aestate gastrica biliosa, autumnno rheumatica, hyeme catarrhalis audit. Ast quorundam anorum aegritudines, quam labilis sit illorum doctrina nostrae terrae plagae inconsistentanea, e contra testantur; et non difficile captu, morborum successiones in Europa septentrionali, Viennae, Londini, Amstelodami etc. easdem esse non posse, quales Hippocratici veteres in insulis Archipelagi, in Macedonia, in Thracia etc. observarunt. Et quam saepe licet non semper, a norma abluunt anni sicci, anni pluviosi, calidi et frigidi, sed et inverso ordine solitis anni temporibus morborum characteres occurrere, inconcussum habetur. Nec meteorologia qua scientia ad eum usque perfectionis gradum pervenit, quo imperantium morborum causis enucleandis par evaderet; quae licet atmosphaeram occasionalem causam morborum sat plurium largiri, de rationibus medenti summe necessariis plane silet. Comparantibus nonnisi relationem vicariam constitutionem annuam inter et endemicam praecipue autem stationariam lucis aliquid adfulgebit. Huc complicationes constitutionis annuae cum endemica et stationaria, quibus prior nec aufertur, imo potius profundius radicatur, eminentior patens. — Alium demum pathogeniae generalis fontem uberrimum constitutio

stationaria sistit, quam et praestantissimorum aevi prisci ac hodierni medici haud bene conceperunt, ita ut in eorum scriptis controversiae quam plurimae legerentur. Medicus practicus sub nomine constitutionis stationariae defendit peculiarem, exceptiones paucas intelligendo, statum actionis vitalis, quae empirice considerata et in sano et in corpore aegrotante patentissima, huic distinctum et communem characterem impertit, nec non eodem modo, quo per gradus orta incrementa cepit, summo culmine paulatim recedens, postquam super annorum seriem indefinitam ceptrum tenuerat, interitui tradenda. Praecipuam largitur normam vitae, eamque in morbis determinat; est vix non summum medicorum problema, praeprimis ejusdem unius in alteram oppositam transgressus.

Morbos, quicumque hoc anno regnantes fuerint, notam phlogisticae magis oppositam prae se tulisse, sive jam observarentur gastricae, rheumaticae, catarrhales aut revera nervosae, quarum maxima turba, paulisper attentis extra dubitationis aleam esse credimus; quum ideo momenta aetiologica, quibus characteris ejusmodi origo et progressus innituntur, sat tuto arguere valemus. Quales rationes quando quaerere vellemus, in illis vicissitudinibus temporariis, quas phases annuae determinant, in anni temperie justo ac secus altiori, in illius conditione tali, quae hyemalis tempestatis ferias prae se tulit, invenire esset. Sed re accuratius examinata, anni in medicorum fastis occurrunt nostro jam dissimillimi, licet non adeo insigniter ejusmodi tamen morborum characterem insigniti; et unde ex aliquot annis jam tam crebre obvenientium febrium catarrhoso-rheumaticarum, febrium gastricarum, imo et nervosarum cohors; cur crises in permultis casibus desiderantur promptae, non semper ac secus in phlogosibus genuine jam rarius visis unicum vix in phlebotomia solatium; cur nisus in adynamiam insignis, quid cum morborum decursu admodum taedioso, febrium intermittentium et nevrosium

frequentia; cur idem fere morbis vernis, aestivis, hybernis character?—In anni temporum vel tempestatum vice phaenomeni ratio sufficiens incassum quaereretur, nam quidquid aegritudinibus earum vix non omnibus et singulis prospiciis ejusmodi characterem imprimit, plus valet, ac quod loco rigidinis et nivium amoeniorem inducit tempestatem. Admiramur constitutionem morborum stationariam, ejusque vastum et strenuum imperium; — aptus autem hic videtur locus errores vitandi, quibus summe in arte viri Granth, Sydenham, Stoll et alii obnoxii fuere, constitutioni stationariae modificationes nimis acutas tribuentes, quas traxere ex fortuita ejusdem cum endemica et constitutione annua copula. Docente fida historia polares nonnisi assumimus constitutiones, quarum polus phlogisticus, eique e diametro oppositus nervosus audit, seu quod notae distinctioris est, praeeunte Lippich, cachecticus. Utrumque interpositae sunt multifariae illae subdivisiones, gastricae, nervoso-putridae, quae non sunt, nisi gradationes constitutionis unius alteriusve cardinalis. In hunc errorem prae ceteris Iunckerum incidisse, quilibet intelligere poterit, dum sex genera constitutionum ab eo stabilita paululum accuratius perpenderit. Idem valet de constitutione rheumatica et catarrhali a clarissimo Autenrieth perperam ad stationariae dignitatem evecta. Docente omnium primo Harlesio, successio nonnisi secundum leges antinomiae fieri poterit, ita ut semper constitutiones oppositae indolis semet excipiant, transitus nempe constitutionis nervoso-asthenicae in inflammatorio-hypersthenicam, et vice versa. Utrum vero sub ejusmodi conversione, uti eximius Kieser suspicatur, quidam character intermedius subnascatur, cum praepolente efficientiae conformatricis et vitae plasticae energia, qui similia offerret indifferentialis syntheseos extrema, ac constitutio annua aequinoctiorum, et quotidiana crepusculorum, fors probabile esset. Asserimus, constitutionem ex paucis annis super morborum greges dominium tenentem

haud facile praetervideri, dico constitutionem non amplius phlogisticam, fors non audacia esset, cum eminenti passione tubi gastro-enterici, non dissimilem illi, quam divinus Stollus in sua ratione medendi sub nomine gastricae describit, morborum casus ab anno 1775 ad 1784 recensens. Quoniam constitutio stationaria nondum explicite nervosa est et multis in morborum casibus homonyma fere emorienti phlogisticae animadvertitur, constitutionis novae gradum non nisi leviolem loquitur. Constitutionem stationariam cum constitutione hoc anno regnante ad altiolem gradum evectora utique coincidentem vidimus, quae quoniam ejusmodi fuit ingenii, hanc ab illa distinguere non semper facile est; sed quae anno lapso indolem saltem heterogeneam non contraxit, licet non tam eminenter visibilem, nullatenus praetervidetur. « Unde tanta febrium intermittentium sylvae! » - superius exclamavimus -, et revera, qui circa constitutionem stationariam unam alteramve regnantem dubius haeret, ephemerides epidemiologicas inspiciat, quibus pene evictum est, febres intermittentes constitutioni stationariae nervosae adeo amicas esse, ut et regiones, quas endemicis infestabant antea, nunc sub constitutione phlogistica derelinquant. Rite jam arguebant observatores medici, febres intermittentes anno 1800 epidemice per potiores Germaniae ditiones grassantes pro praecipuo constitutionis asthenico-nervosae stationariae indicio declarantes. Confirmant experientiae Reilii, Walchii, Wittmanni, Schnurreri, quibus adjungimus istas ingeniosissimi nostri Praeceptoris Franc. nob. ab Hildenbrand, febres intermittentes longe lateque grassari, ubi character stationarius nervoso-asthenicus dictaturam tenet, quod accidit annis 1808, 1809 et 1810. Eximius Kieser in suo systemate medicinae practicae naturali ex semper semperque majori numero variolarum occurrentium constitutionem stationariam in aliam oppositam transgressuram auguratur; sed magis jam, sic profert diligentissimus Richter filius,

decidunt febres intermittentes ex anno 1826 crebro obviae. Praestantissimus Hufeland in itinere suo animadvertit, quod istae febres endemicae regionibus loco Nenndorf vicinis penitus evanuerint, et phaenomenon hocce praepolenti constitutioni stationariae phlogisticae adscribit. Idem observatum fuit ante annos ingruentes humidos 1820, 1821, 1823, 1824 in locis Altrhein, Oppenheim, Worms, Mannheim etc., quibus febrium istarum tanta sollemnitas. Circa hujus rei argumentationem abs re non erit perpendisse, febrium intermittantium potestatem arcto nexu cohaerere cum annis humidis, pluviosis, quales observandi occasionem habuimus anno 1827 ad 1833, quum annus exceptus 1834 detestabilem obtulisset siccitatem. Ex tempore isto, videlicet ex anno 1827 vacillabat constitutio phlogistica adeo, ut contendere fors liceret, novam hic constitutionem, cui nos in praesentiarum subditos asseruimus, in lucem prodiisse, ac si non humiditate eximia, pluviarum tamen frequentia e somno quasi excitatam fuisse: insalubritatem autem pluviarum, quae diutius protrahuntur, nemo in dubium vocabit. Jam pater Medicinae Divus Hippocrates hanc veritatem intellexit, dicens: Ex anni constitutionibus siccitates (*Αύχμοι*) sunt pluviosis salubriores, ac minus lethales. Aphor. 15. Sect. 3. - et si per magnas siccitates febres acutae, ibid. Aphorism. 7. - Sed in valde pluviosis febres longae, putridae, alvi-fluxiones, anginae, apoplexiae, ibid. Aphorism. 16. - Indagator naturae sagacissimus, medicus sapientissimus Huxham in suis operibus physico-mediceis, quum de aëris constitutione loquitur, tali modo annum 1735 describit: « Annis maxime pluviosis hic debet annumerari ob frequentiam saltem, si non ob pluviae quantitatem; nam continua fere decedit quamquam raro admodum gravis. Imbres utique vehementes aërem faciunt sicciorem, quatenus vapores per atmosphaeram congestos deturbant; hinc post eos plerumque aër purus valde et liquidus apparet, et multo majorem ejus siccitatem hygroscofia indi-

cant; densa autem et nebulosa quasi pluviosa omnia humectat maxime. » Vix unquam sane memini atmosphaeram magis fuisse humidam et crassam, quam hoc et elapso anno: hiems fuit tepida nimis, aestas perfrigida; utraque infaustra semper et pluviae ferax et nunquam non morbis abundans. — Ex quo sane tam udas habuimus tempestates, febres putridae, lentae, nervosae, ac intermittentes omnigenae per has regiones grassatae sunt maxime, etiam in hoc oppido et per viciniam, cum tamen annis abhinc viginti veras intermittentes rarissime viderim. Imo bene memini, milites plurimos, ad arcem nostram olim trasvectos ab oris Icenis et portu magno, pertinaci admodum quartana tantum non confectos penitus; qui tamen hic a sola benignitate coeli convaluere protinus. « In alio loco ejusdem celeberrimi auctoris legimus: » Ex observatione medicorum, cum veterum, tum recentiorum constat sane, quod putridae lentaeque febres grassantur maxime, cum humida nimis crassaque aëris temperies perstat diu; idque potissimum, si concurrat etiam calor insolitus. — Quam pluvia fuit, quam squalida tempestas nuperis annis nemo non norit; et totum annum 1754 et 1755 inter perpetuas pluvias et continua quasi diluvia contrivimus; nec laetis nos solitisque radiis lustravit sol aestivus, nec purgavit aërem hyemali gelu: depluit aestate tota, depluit et hyeme, dum aër interim, mutata quasi prorsus natura rerum, fuit mire quidem tepidus at humidus maxime. Hinc lentae et nervosae febres, ac remittentes et intermittentes fuere frequentissimae. » — Congruere itaque constitutionem praesentem stationariam nevrasthenicam, sive melius cachecticam, cum annis pluviosis, quorum ex anno 1827, excepto anno 1854, interrupta series observabatur, probabilitate summa gaudet; quin imo clarissimus ab Hildenbrand, quum sermonem facit de varia variis in locis et terrae plagis constitutionis stationariae intensitate, annuit sequenti modo: « Ita saltem constitutio nevrasthenica, quae ultimo decennio sae-

culi praeterlapsi, atque annis 1808, 1809 et 1810 viguit, per totam Germaniam, Galliam, Italiam et Angliam diffusa comparuit. Idem videtur confirmari per analogam constitutionem jam a biennio (1829 et 1850) superstitem, ac per vastas ditiones diffusam. »

Constitutio stationaria asthenico-nervosa est mater debilitatis virium et reactionis insufficientis; sed characteres istos a primo ingruentis constitutionis initio semper distinguere ac determinare etet attentissimorum medicorum cerebra vexat. Febres simplicissimae v. g. catarrhalis, rheumatica, intermittens in hanc rem gravem habentur valde instructivae, quae sunt verissimi symptomatum indices pathologici, constitutionis adventitiae genium paenuntiantes. Derepente saepe saepius medicus practicus de novo hoc genio et characterem febrium simplicium, incredulus antea, certus redditur, praeprimis quando constitutioni stationariae homogenea quaedam endemica et annua constitutio prioris effectum augent eoque visibiliorem reddunt. Sic docet sagacissimus epidemiologus Clariss. Wittmann, exemplo adducens febrem epidemicam catarrhosam (Grippe) annorum 1802 et 1803. Sed tussis haec epidemica, quae russa compellabatur (Influenza), annis 1775 et 1782 per Scotiam et Britanniam vaste lateque debacchans, nonne et nostras deterruit felices Austriae regiones vere anni 1855 invadens tantas labe imprimens insidiosas si non lethiferas: cujus veritatis-proh dolor-isto tempore phthisicorum supremae dies tristes fuerunt testes. Tales epidemiae intercurrentes constitutioni stationariae nuptae esse videntur, ita ut illae vicissitudines, quas haec subit, concomitentur; cui adserto Cholera, quae anni 1851 autumnno deplorabili modo millenas et iterum millenas victimas molavit tristemque infecit luctubus orbem; Cholera, quae eam telluris plagam vastavit, cui constitutio stationaria phlogistica valedixit. Talis fuit conditio rerum, incolae urbis imperatoriae Vindobonae terribili semel hac morte deterriti, qui se nunc

salvos putarunt, detestabilem istum hospitem anno proximo frequentia, quas fecit, mortium ex júbilo dulci semel adhuc suscitandi, adeo ut crederetur vulgo, nobis in posterum familiarem futurum. Quis Orcus ex hoc morbo non fuit, taediosam reconvalescentiam fovebant, per longum tempus a plebe etiam a procul probe distinguendi, quos-minima ansa data-methodo ista cum glacie quando tractati, febres nervosae lubenter excepere eisque quieti aeternae tradendi: plures ejusmodi misericulos noscendi, haud raram habuimus occasionem. Ex hoc autem tempore fatali distinctam quamdam corporis et animi directionem hominibus terrore et miseriis exantlatis consentaneam impressam offendimus; animus severioribus adsuetus inter divertimenta strepentia captandi aut solitudinem quaerendi, vitam ejusque salutem curandi fluctuabat: Rupertus semel expertus, quam facilis sit de vita in mortem transitus, de hac sorte humana anxius, fors et nimis, anxie omnem fugit auram, morbis ex, et cum debilitate insequuturis amplam superficiem praebens. Insueta abdominis sensibilitas observatorum neminem fugit, minimum saepe momentum procatarticum sufficiens visum gastrismo producendo, Diarrhoeam, Dysenteriam, Choleram suscitando, adeo ut frequentissimae istae Cholerae pro Morbo sic dicto a pavidis artis imperitis haberentur. Proferimus nonnisi, quae nunc temporis modo medicus Marte proprio viribus admodum exiguis observare potuimus revera dolentes, quod sub atris istis mortium alis pugnando impotentibus, prius vixisse non concesserint Dii. Nec parum interesset scire suicidia, abortus, quorum majorem fors legeremus frequentiam. Unde vero haec scena luctubus plena, num tota haec symptomatum morbosorum natura Cholerae uni tribuenda epidemicae. — Et Cholerae et Catarrho Rossico, quae epidemiae — praeexistente attamen nonnisi constitutione stationaria qua momento proëgumeno, momentum procatarticum largiuntur, quae ad altiorem gradum quando intensa tunc temporis fuisset, in

morbum populi fors degenerasset. Hanc omnem et singulam, circa quam modo saltavimus, rem clariss. Professor Lippich definite expedit, qui anno 1823 initiantis suae in Illyrica urbe, Labaci praxeos, characteris stationarii phlogistici decrementum offendit sensibilis adprime in aegritudinibus catarrhoso-rheumaticis, interpolato tamen de tempore illius incremento; donec autumnus anni 1827 humido-frigidus sub profundiori Barometri statu rheumatico-gastricas et catarrhoso-gastricas morborum formas cum nisu in adynamiam manifesto superiores facile omnibus explicuerit. Ex quo tempore febrium intermittantium numerus auctus; febres biliosae et dysenteriae fideles aestatis comites semper visae; character cardinalis gastricus potentia extollitur, quin anno 1834 culmen summum adhuc attigisset, qui nervoso germane nuptus diathesibus cachecticis insidiosus adeo, ut annis 1831 et 1832 mortalitas hominum morbis chronicis imprimis detentorum quinta parte major extitisset, epidemiae cholerae, quae dulcem patriam nondum invasit, aequipondium fere tenens non intense saevienti. Sed et mira proclivitas in diarrhoeas et choleras annos dictos tenebat oscillans, febribus intermittentibus, quae si viribus recuperatis insurexere, evidenter cedens. Quod et in Italia contigit, quum mensibus Maji et Junii anni 1833 sub tempestate calida, sicca insolito modo cum subfrigida alternante et febribus intermittentibus fere emortuis, Influenza mediam fere populi partem sine damno corripere gastricis symptomatibus stipata. Meminimus et bene, paucis diebus antea ac dira Cholera moenibus Vindobonae per clades primitus se annuntiasset, nos audivisse, aegros in duabus aut tribus domibus sibi vicinis in urbe ipsa febrim nervosam detentos jacere, adeo ut strenua cum iis interdiceretur comunio. Epidemiae intercurrentes itaque amare constitutionem stationariam novitus exordientem et hancce per gradus nonnisi a primo initio insensibili fere modo se evolvi,

donec per epidemias intercurrentes magis et evidenter patefieret, verisimile est. Applicamus ad constitutionem stationariam nostram, quae nec mere nervosa est, sed potius nervoso-gastrica non dissimilis, quam Stollus describit constitutioni; cuius phaenomeni rationem sagacissime describit noster amatissimus Franc. nob ab Hildenband: "Quousque character epidemiae stationariae a simplici virium cosmicarum permutatione, ab infracto videlicet vel aucto gravitationis nisu dependet, cardinales tantum vitae manifestationes, seu fundamentales oscillationum organicarum motores, sensibilitas nimirum et irritabilitas justo majorem vel minorem energiae gradum adipiscuntur. Inde dichotomia pura constitutionis nervosae, asthenicae, atque inflammatoriae, hypersthenicae, veluti ectypus gravitationis siderum infractae vel adauctae. — Quod si vero telluricae una concurrant potentiae, quae jam cum singulis et determinatis systematibus organicis atque visceribus specialem necessitudinem habent, etiam character stationarius cum eminenti proclivitate in passionem unius alterius vesphaerae organismi, hepatis, cutis pulmonum, vel fistulae gastro-entericae incedere poterit. Hujus generis forent exempla de epidemia stationaria asthenico-putrida, quam Lentinus per plurium annorum seriem ab anno 1756 usque ad annum 1785 et pie defunctus Parens ab anno 1785 usque ad annum 1792 in Volhynia, Podolia et Ucraina observavit, — nec non casus constitutionis gastricae, quam praesertim e Stollii scriptis desumere licet, ubi vices epidemiarum ab anno 1775 ad 1784 recensentur." — Et si non saperemus, quae contigerunt proxime lapsis annis, temporum tempestatumque anomalias, inundationes, terraemotus, Vulcanorum explosiones, meteora varii generis et alia, edocendos susciperet et Influenza et Cholera, quae qua epidemiae intercurrentes originis telluricae ideam comprehendunt. Annus novissimus revolutionum telluricarum miracula quasi offert, ita ut in fastis meteorologorum in canum usque

aevum nec ultimum locum sibi vindicet; quare quae ex ephemeridibus diligenter excerptimus, pauca eorum non nisi hicce locorum sufficiant. Tempestates impetuosae seri autumnii aut plane mensibus hybernis obvenientes raris utique naturae phaenomenis adnumerantur (hyeme rara fulmina Plin. II. L. I. 50.); qualis praepriis insequuta sub nocte diei 30. ad 31. Decembris 1833 per sat notabilem ditionem urbis Praegae a multis, quae res sint eventurae, incolis et astronomis praesertim observata a primo ejusdem exordio ad plenam conticentiam usque ac quietem, idque summa cum diligentia. Repentinus Barometri descensus ad lineam unam et ultra temporis spatio exiguo trium horarum (quod obtinuit a hora 7. — 10. de nocte diei dicti) de modo minante procella praenuntius, qui successit jam hora 11., et quidem derepente parum interrupta ad horam 3. sublucanam usque summe violenter saeviens. Aërem interrim Thermometron manifestavit, in quo gradus 6 Réaumuriani animadvertebantur, erat ille summe electricus, quem jam ante noctem mediam omnis atmosphaera impetuoso-undosi maris igniti faciem ferret. Post noctem autem concubiam fulgura cum tonitribus flammeum coelum meridionale signabant, quorum singulus ictus nubes, ac si in oppositas mundi plagas jactabat; grandines et imbres adeo fortes, ut Ombrometron lineas duas aquarum daret, tempestatis tantae violentiae recessus sequutus hora 12 $\frac{1}{4}$ ad auro-ram penitus componenda (Itaque medio diei aut noctis sopiuntur. Et imbris venti sopiuntur. Caji Plinii II. Historia natural. Liber II. XLVIII.). Hisce omnibus adnotari meretur, Thermometron tempore, quo nec fulmen amplius videbatur, gradibus 3. magis, gradus itaque 9 Réaum. positive obtulisse, quin altera insequeretur tempestas. Similem fere huic legimus tempestatem procellosam anni ejusdem die 18. Decembris per totam Saxoniam furentem, quae arbores eradicavit, hortorum muros, imo et culta domicilia destruxit. Quis attentorum ignorat terrae motus,

quorum diebus iisdem frequentia ac summa intensitas in plurimis Italiae superioris locis, Genuae, Luccae, Taurini, Parmae, Mediolani, Mutini, Sarzanae etc. obvenerunt. Sed ne ultra abeamus, sat miseriarum, quas omnis fere regio, telluris plaga notabilis nimis abunde hoc anno experta; talium naturae phaenomenorum numerus et gradus fidem facere potuissent, Ovidii animal grande modo crudeli irritatum fuisse. Sat notabiles igitur convenere potentiae, quas telluris evomuit sinus, fistulam gastro-entericam in passiones proclivem reddentes, etsi amicae ejusmodi conditiones ex temporibus Cholerae et Influenzae non antecessissent. «Quemadmodum character constitutionis stationariae, sic docet eximius Hildenbrand, omnibus morbis epidemicis alius generis atque endemicis sese immiscet easque, ut Stollii verbis utar, in suam potestatem redigit, ita etiam ille ipse omnigenas a statu atmosphaerae, vel climatis qualitate contrahere potest, imo debet modificationes.»—Conversiones uranciae, utut altioris ordinis sint, a legibus vitae telluricae temperationem nanciscuntur; et vice versa. Tali pacto magis visibili modo character constitutionis stationariae in copula, si ita dicere fas, cum eminenti proclivitate in passionem sphaerae organismi, fistulae gastro-entericae processit, anno, cujus universim sermo habetur, patentissimus factus; quod ultimum propterea jam non mirum, omissis etet superius adductis, quum per experientias constet, aestate praeter morem fervida, sicca, constitutionem morborum anniversariam nevrasthenicam non tantum altiozem adipisci gradum vastiusque dominium, sed etiam ultra limites praefixos protrahi, et quasi in constitutionem stationariam transire: annus autem, quem descripsimus, praeter morem totus temperatura valde adactus, siccus, majoris sane valoris naturae scrutatoribus erit. Licet Cometis nimia, ut vulgo fieri solet, efficacia tribui non debeat, praeter ejusmodi anni temporum conversiones (αἱ μεταβολαὶ τῶν Ὁφρῶν) insolitas, inducere nobis pla-

cet, Cometas et visos hoc anno et modo expectandos, quorum summae laudes et in generandos novos morborum characteres potestates in summi Aristotelis libris leguntur. Meteorolog. Lib. I. Caput. VII.—Sed et stellas crinitas, et constitutionem morborum stationariam originis esse cosmicae, altioris cujusdam revolutionis grandimundialis effectus, verum.—Theoriarum ac phantasmatum laqueos omnes evitare qui volumus, assertum summorum in arte medica virorum, hominis vitam unam paulisper quid de Constitutione stationaria empirice concipiendo vix sufficere; summam cum devotione sentimus celebre illud Medicinae parentis effatum: “Vita brevis, ars longa —” nusquam et nullibi ac in ejusdem disquisitione locum aptiorem invenit. Medicus non nisi unacum aetate morborum popularium studio proventus, cui fida memoria veram morborum imaginem et methodorum e diametro sibi invicem oppositarum errores priscis ac posteris temporibus solennes distincte prae oculis tenet; quem judicio comparante natura donavit, tale phaenomenon anachronico-pathologicum rite intueri poterit. Historia, rerum optima magistra circa hoc argumentum scientias nostras excollit, cui consulentes respectu morborum et varii eos curandi modi saeculi lapsi, offendimus in puncto transgressionis constitutionis stationariae unius in alteram oppositam, ex aevo jam punctum culminationis jacuisse, aut viam dubiam, ex qua methodus curativa per longum temporis spatium usitatissima novae saepe sibi invicem contrariae locum non cedere non debuit: systema novum opprobriis paene inundabatur, ast incassum, quod tempori revera magis ac humano ingenio tribuendum, quum alienata morborum natura insurgeret. Sicut in natura perpetua viget vitae cum morte mutatio, ipsa e contra una semper eademque manet, quae ad hypotheses fingi flectique minime finit. “Ego sum universum et flammeum meum mortalium nemo aperuit.” Plutarch. de Isid. — Sub quovis novae constitutionis stationariae exordio tempus medicos practicos in

medium provocat, quo bello durante constitutio stationaria recens insensibili modo caput suum extollit, ac quae sub iudicibus lis erat, terra detecta medicorum obstupescit mentes. En, quae ex provocatione victrices evasere, temporum sortes, legibus naturae adstrictae! — Sic Sydenhamum constitutionis stationariae ingruentis, quam solus fors perspexit, clypeus ferreus defendit cum scholae prioris asseclis certantem: methodo antiphlogisticae chemiatri unacum cardiacis cessere. Sed inversam sortem expertus Sydenhamus vincente Mortonio; Stollus ejusque scholares antigastricam methodum foventes per constitutionem stationariam medicinam cruentam assumere fuere coacti. Christophorus Ludovicus Hoffmannus methodum sic dictam antisepticam pro aris et focus defendens, nec tantam sibi in curandis morbis lauream comparasset, ni eo ipso tempore constitutio stationaria characteris adynamici et ideo systema suum morbis grassantibus consentaneum fuisset, notam asthenico-putridam tunc temporis manifestantibus. Eidem ac Christophorus Ludovicus Hoffmannus, constitutioni stationariae Joannes Bruno plus minus celebritatis debet; nam antiseptica prioris et irritantia hujus copulam inire facile poterunt. Versus annum 1811, ut notum, constitutio stationaria phlogistica luce donata, et Marcus in Germania, Rasori in Italia, Broussais in Gallia Hoffmanni et Brunonis systemata in cineres convertabant. Nec temporibus posteris aliae reservatae sortes: sic vastus fatorum volventium gurges! — Attamen dissimulandum non est, ut opinioni Lippichianae subscribamus, provincias terrae plurimas praecipitem adeo et decisam illarum morborum rationum antinomiam, sive contrarietatem non involvere, imo potius saepe mediam inter periodum stationariam nervosam casus morborum phlogisticos et vice versa sat inveniri, ne systemati constitutioni nunc regnanti superstructo totus se tradat, qui bene distinguere debet, medicus; sed constitutionem stationariam maxime universales indicationes largiri,

diversae curae effectus sat abunde evincunt. Cui universali indicationi, quando ad lectulos aegrorum non obtemperas, ne te summi Gaubii verba tangant, vide: « Quod si tristissimas mecum reputo, quae ex incauto pertinacique hypothesisium atque falsorum dogmatum usu in facienda Medicina profluunt, consequutiones, tot sanitates perverso regimine pessumdatas, tot morbos incongrua medicatione in longum protractos, tot illatas mortes; non sine animi dolore quandoque dubius haereo, plus ne emolumenti, an noxae humano generi medendi scientia afferat ». Constitutio enim stationaria maxime universalem indicationem ad lectos aegrorum largitur, quae non est ac elementum morborum stationarium, quae a psychologo et anthropologo non satis ac meretur, nec concipitur, nec colitur: est, quae viam pandit magis physicam phaenomenis dilucidandis, quae tot sunt problemata, et mundo proprie intellectuali et morali ejusque viribus sunt subdita. Nec praetervidendum est, dotibus moralibus et intellectualibus ita ac corporeis generationis cineribus patrum superinsurgentis momentum, quali cum caractere constitutionis stationariae prima coincidat juvenus. Sed constitutionis stationariae gravitatem acute acutissimus Lippich describit, constitutionis semper memoratae duplicis alternationem tempestatum ordini definito adstrictam una deffendens: « Dass dieses Abwechseln der bezeichneten zwei Krankheitsconstitutionem an einen bestimmten Gang der Witterung gebunden sey, und sich nicht allein im Physischen, sondern auch im Moralischen beurkunde und wiederhohle, darüber hege ich keinen Zweifel, besonders wenn ich die *meteorologischen, pathologischen* und *politischen* Erscheinungen der Neunziger Jahre des vorigen und der Dreyssiger Jahre des jetzigen Jahrhundert^s vergleiche. Nahmentlich hatten die Jahr-gaenge 1791 und 1828 nicht allein eine ganz gleiche Witterung, sondern sie eröffneten, was mein verewigter Lehrer und Freund K. K. Haberle, in einem 1827 an

mich gerichteten Schreiben richtig prophezeyte, einen ganz gleichen Cyclus von feuchten und kühlen Jahren durch ganz Europa »

Tam gravis constitutionis stationariae dignitas, gravissimum involvit medici munus, cui satisfaciendo in praesentiarum impares evadimus. « Sed, sic Magnus Joannes Petrus Frank, Vir academiæ, quæ per Europam et Americam florent, sodalis in Caes. Universitate Vilenſi anno MDCCCIV. discipulos suos amice consolans, sed tamen vestrum hæc animum ne dejiciant sodales! grave quidem et nimis laboriosum est medici, quo vita quidquam brevitati superaddat, et artis longitudini quid detrahat, officium; sed nec arcum semper ipse tendit Apollo, et in ipsa laborum susceptorum varietate hæret aliqua delectatio, mentisque jam fractæ recreatio. Naturæ vos studium, medicinae illi tam affine, tamque gratum, defessos hinc inde reficiet; bonorum litterisque deditorum virorum, — familiarum, quæ suam vobis vitam tuendam comittunt, etsi nulla nunc ægritudine detentæ, tam utilis et his futuro in morbo, societas, — teneros prolibus parentes servasse, hasque sepulchro jam vicinas illorum amplexui restituisse, artem ipsam promovisse, et generi humano præſenti posterisque vixisse, conscientia, — hæc vobis amplissimum, et solum cujus interest, præmium constituent. »



LITTERATURA

ANNALES SCHOLAE TICINENSIS 1830.

GUILL. BALLONI Epidemiorum et Ephemeridum Libri duo,
Venetiis 1734.

BENDITSCH über die stehende Constitution und einige
Krankheiten, welche 1797 und 1798 in
Steyermark beobachtet worden sind. Graetz
1799.

FONTANA (NICOL.) Bemerkungen über die Krankheiten,
womit die Europaeer in heissen Himmelsstri-
chen befallen werden. Stendal 1796.

MARCUS GERBEZ. Chronologia med. pract. Francoforti a.
M. 1713, dessen Beitrage zu den Ephem.
Nat. Curios., wovon sich ein Abdruck als
Zugabe zu Th. Sydenham op. med. ed. Ve-
net. 1735, findet, wo sie mit den Beob-
achtungen von Schroëck, Gensel, Gahrlied,
Reiger u. A. einen Theil der historia epi-
demica Germaniae bilden.

GRANIGERI Hist. febris anomalae. Bataviae Altenb. 1770.

HARLESS Jahrbücher der deutschen Medizin. Nürnberg. 1813.

VALENT. ab. Hildenbrand, Ratio medendi in Schola practica
Vindobonensi 1813.

PROF. DOCT. FRANC. Nob. ab. Hildenbrand, Animadversiones
in constitutionem morborum stationariam
ejusque cum siderum laboribus necessitudinem.
Vindobonae 1831.

FRIDER. HOFFMANNI Dissertat. de Siderum in corpora humana influxu medico.

Medizinische Jahrbücher des K. K. oesterreichischen Staates.

PROF. DOCT. FR. WILHELM LIPPICH. Topographie der K. K. Provinzialhauptstadt Laibach in Bezug auf Natur—, und Heilkunde, Medizinalordnung und Biostatik. Laibach. 1834.

JAMES LIND. Essay on diseases incidental to Europeans in hot climates etc. Lond. 1768.

MEAD (RICHARD). Tractatus de Imperio Solis et Lunae in corpora humana. Lugd. Bat. 1737.

Observations on the influence of the Moon on climate and the animal oeconomy with a proper method of treating diseases when under the powers of that Luminary. Philadelphia 1800.

RAMAZZINI Opera omnia medica et physica. Lond. 1717.

SCHNURRER, Chronik der Seuchen. 2 Theile. Tübingen 1823 und 1825.

PROF. DOCT. M. STÉER. Cenni intorno lo stato attuale della epidemia tellurica dominante (detta choleric) riguardo all' Italia ec. Milano 1832.

STOLL MAXIMILIAN. Ratio medendi in nosocomio practico Vindobonensi. 1794. 8.º Vol. 7.

TOALDO (ABT. JOS.) Witterungslehre für den Feldbau. Uebersetzt von Steudel. Berlin 1772.

VALLISNERI ANTON. Opere fisico-mediche. Venez. 1755.

D.º F. I. WITTMANN, die stationaere Krankheits-constitution vom empirischen Gesichtspunkte betrachtet. Mainz. 1825.

Idem, die neuesten am Rheine herrschenden Volkskrankheiten. etc. Mainz 1811 bei Fl. Kupferberg in 8.º

Qui hancce pathologicae statistikes spartam exararunt, Virorum nomina mentionem quam maxime merentur: LEX-

TIN, FRANK, RUDOLPHIE, HUNZOWSKY, FINKEN, SCHAEFFER,
FERRO, THILENIUS, WENDELSTAEDT, STEINER, RITTER, BEH-
RENDS, METZGER, SOLBRING, JÖRDENS, HORSCH, KOPP,
RAMBACH, WIEDEMANN, FLEISCHMANN, FICKER, KLUGE, SCH-
NEIDER, NOLDE, SCHMIDTMANN, FORMEN, WILLIG, GRAFÈ-
NAUER, LEHR, PEETZ, RULLMANN MANDT, FODERÉ, KLEIN, DE
ZLATAROVICH, SPORER, J. HOFMANN, ROESSLER.



THESES DEFENDENDAE.

I.

Medici educatio ut puerili ab aetate incipiat, optandum est.

II.

Syntenosis a syndesmosi nil differt, nec ab hac synnevrosis, synymensis non datur, synostosis superflua est distinctio.

III.

Materies anorganica aequilibrio virium suarum interno ac quiete sustentatur.

IV.

Femina ob suam, qua excellit formam corporis externam sphaericam, gradum organisationis inferiorem redolet.

V.

Protuberantiae in externa cranii superficie visibiles individualitatis nostrae mentalis fructum, non causam sistunt.

VI.

Crematum genus humanum conficit.

VII.

Qui literam *b* non recte pronunciant, vocabulis repetendis exerceantur, in quibus *m* praecedit *b*, v. c. Umbilicus, Umbo.

VIII.

Syphilis sub constitutionis imperio stationariae nervosae mercurialibus bene non cedit.

IX.

Podagra anxie exquisitam respuit diaetam.

X.

Rationes cosmicae characterem, telluricae definitam morbis tribuunt formam.

XI.

Medicamentorum virtus a certa vis vitalis directione medici ordinantis plurimum dependet.

XII.

Pie defunctus Hartmannus, pathologorum princeps.

XIII.

Medicinae ignarus sit procul a medicis scriptis.

XIV.

Melior medicus extraneus medico amico.

XV.

Ophthalmia epidemico-contagiosa militum proprie sic dicta a contagio ex Aegypto proveniundo non semper derivanda.

XVI.

Exacerbationes febrium nervosarum vespertinae cum inquietudine, capitis dolore et cute urente, indifferentiam aegrorum non raro abluunt.

XVII.

Quando feбри nervosa detentis sensilitas morales in lacrimas prona, quietem per tempus praesagi.

XVIII.

Eodem, quo homo nascitur temporis momento, moritur.







